



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Calvinus Lutetiam profectus, mox inde Engolismam se confert.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

datus fuerit: is, inquam, qui viuens, multa anima-
 rum millia ad æternum exitum deduxit. De quo
 illud vere, quod olim de alio quodam, dici potest,
 Malum ipsum & didicisse & docuisse, & alios ma-
 los reddendo, seipso peiorem esse factum. Quod si
 omnia ista mala & venena, quæ ab hominibus
 istis profecta sunt, vnam in massam colligantur,
 quis neget illam iniquitatis cumulum iam sese o-
 stendisse? An ergo delirasse Sorbona censenda
 est, quæ regem supplici libello monuit vt Magis-
 tellis illis ex Germania surreptibus aditum in
 regnum suum præcluderet, & iam receptos elimi-
 naret? quum vnus Volmarus tantorum causa ma-
 lorum fuerit, corrupto Caluino, qui postea tot
 hominum millia hæreseos labe infecit. Sed ad rem.
 Caluinus Volmari aliquamdiu vsus consuetudine
 acquisita aliqua Græcæ linguæ cognitione, eius-
 dem consilio obtemperare statuit, relicta Parisi-
 ensi Academia Nouiodunum in patriam reuersus,
 vbi patris opera Canonicatum, vt vocant, nactus,
 Crucifixi sine Ecclesiæ sumptibus vixit. Volmarus
 interim frequenter ad eum scribebat, librosque
 quos è Germania acceperat, mittebat, acriter ex-
 hortans vt de refoimanda atque illustranda Dei
 Ecclesia cogitationem ac curam serio susciperet,
 multis aspersis laudibus, quibus hominis alias am-
 bitiosi animum vehementer incendebat. Er qui-
 dem ab vno Volmaro ad tantos conatus se impul-
 sum, Caluinus ipse multis in locis fatetur. Quia
 etiam idem Volmarus, licet ab Vrico Duce Wir-
 tenbergico domum reuocatus, literis tamen ani-
 mare Caluinum non cessabat. Illud tamen mi-
 rum cui merito videatur, quod idem Caluinus v-
 bi de vocatione sua agit, Volmari ne verbo qui-
 dem meminit, sed illud tantum inquit, occulta
 Dei providentia se pertractum fuisse.

III. Nouioduni aliquamdiu commoratus Cal-
 uinus, Lutetiam redijt, inque Collegio Fortere-
 stano domicilium habuit. Auditor Ecclesiasticæ
 Historiæ, vt profusus vbiq; est in huius hominis,
 quem Deum pæne fecerunt, laudes; ira hoc loco
 quoque ait, Ecclesiam Domini valde ab eo, post-
 quam Legum studio valedixisset, fuisse amplifica-
 tam, Veritatem docente. O musteum ac recentem
 Theologum! qui diuinam scientiam vix primo li-
 mine à se salutatam, iam alios docere præsumebat.
 Domini illa Ecclesia, quæ Lutetiz colligebatur,
 inuisibilis erat, & nouus hic propheta eo tempo-
 re, de quo hic loquitur historia, nondum vicesi-
 mum & tertium annum ætatis explerat, ac vix ac

ne vix quidē D. Pauli Epistolas perlegerat: quam-
 uis interea eos quos de Fide non optime sentire
 non ignorabat, modis omnibus corrumpere sata-
 geret. Constat sane inter chartas eius ab inqui-
 sitoribus multas deprehensas esse, quæ non suspi-
 cionem hæreseos, sed apertum crimen præ se fer-
 rent. Quum ergo parum tutum se fore arbitrare-
 tur, Engolismam (qui vltimus & remotissimus
 tractus est Parisiensis Curiz iurisdictioni subie-
 ctus) se conculit, vbi triennium Ludouici Tilij
 Canonici Engolismensis & Curionis Calixensis
 (qui Ioannis Tilij, Parisiensis Curiz Protonota-
 rij, & alterius fratri cognominis Meldorum Epis-
 copi frater fuit) sumptibus sese sustentauit, pa-
 tronum interim nutritiorum vice Græcam lin-
 guam, cuius, licet tenuem, habebat notitiam, do-
 cens. Aiuunt quidam, & à multis scriptum inuenio,
 Caluinum magni & detestabilis flagitij à prima-
 rio Boucurtensis Collegij sodali fuisse acculatum,
 & ad puerorum querelas contumaciæ damnatum.
 In hac officina Vulcanus ille pestilentes suas atque
 hæreticas opiniones primam cudit, quas deinde
 vndiquaq; disseminauit. Hic enim primam Insti-
 tutionum suarum telam exorsus est; quam deinde
 alibi pertexam, ad capiendos simplicium ani-
 mos terendit, passim atque explicauit; quem ego
 librum Hæreticorum Alcoranum vel Thalmud
 non iniuria appellandum censeo, vt in quo omnes
 superiorum temporum & quæ etiam vnquam for-
 te exorientur, hæreses atque errores coagasti le-
 guntur, è Locis communibus Melanchthonis,
 Hyperij, Sarcerij, & id genus libellis magnam par-
 tem confarcinato. At Westphalus Lutheranus me-
 ram Oecolampadii sapientiam ac doctrinam, sed
 immutatam paululum atque amplificatam in eo
 contineri ait.

IV. Porro Græci Calixensis cognomine tum
 Caluinus celebrabatur, eo quod in Curionis illius
 esset familia, quodque Græcæ linguæ quamuis
 non exactam haberet cognitionem, eam tamen
 plurimum ostentaret; tanto maiori cum admira-
 tione quanto tum temporis vsus eius erat rarior,
 qui Gallis non multo post redditus fuit familiaris-
 simus, postquam è patria profugi quidam Græci
 exsules à Cosmo Hetruriz Principe in Italiam ac-
 cersiti sunt, à quibus inde suauissimæ linguæ ri-
 uuli in Galliam quoque nostram profluxerunt.
 Hic ergo Græculus noster, collecta aliqua homi-
 num existimatione & fama, vt erat omnibus qui
 litteras amabant, charus, in omnibus sermonibus
 quos